



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

II. Deinde monstrat Clementem I. post beatum Petrum sedem apostolicam
rexisse, idque tradente sibi ipso Petro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

Act. 8.

Neocæs.
Concil.
Can. 13.Chorepi-
scopi typū
gerunt in
ecclesia 70.
discipulo-
rum.

Act. 8.

Luc. 11.

8. q. 1. Si au-
tem Petrus,
Clemens
successor

Spiritus sancti per manus impositionem tradidisse. Quod autem solis apostolis, eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber Actuum apostolorum docet. In Concilio vero Casarensi ita de chorepiscopis habetur scriptum: Chorepiscopi quoque ad exemplum & formam septuaginta videntur esse: ut comministri autem, propter studium quod erga pauperes exhibent, honorentur. Si enim meliores sanctioresque sanctis apostolis esse putatis, facite quæ illi non fecerunt, & superextollite vos illis. Si vero eiusdem ordinis estis, & æquiparare vos vultis illis, nolite ea agere, quæ illi non egerunt: sed imitamini, prout melius potestis, exempla & vestigia eorum. Illi autem, præcipiente Domino, illisque denuntiantes, ut illi & successores eorum tantummodo per manus impositionem traderent Spiritum sanctum, nulli unquam ex septuaginta tradere Spiritum sanctum per manus impositionem permiserunt, eis (quorum typum, ut prædictum est, chorepiscopi, antequam prohibiti essent, gerebant in ecclesia) scientes illicitum fore, dantes successoribus eorum exemplum, ne unquam talia præfumerent. Vnde in Actibus apostolorum scriptum est: *Cum audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nec dum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Non ergo (ut iam dictum est) aliquem ex septuaginta, licet pauci essent apostoli, ad hoc opus perficiendum direxerunt, sed Petrum & Ioannem apostolos per manus impositionem tradere Spiritum sanctum miserunt: quorum vicem episcopi in ecclesia gerunt, & non chorepiscopi, qui septuaginta discipulorum formam ante prohibitionem eorum gerebant. Quod illi non fecerunt, vos facere nolite, ne dissimiles eis, & indigni eorum successione & ministerio esse videamini: quia (ut ait Dominus in euangelio) *qui non est mecum, aduersum me est: & qui non colligit mecum, dispergit.*

I I.

Si autem Petrus princeps apostolorum adiutores sibi adsciuit Linum & Cletum, non tamen potestatem pon-

tificii, aut ligandi, aut soluendi eis normam tradidit, sed ^{proximus} successori suo sancto Clementi, qui sedem apostolicam ^{dñi Petri.} post eum, & potestatem pontificalem, tradente sibi beato Petro, tenere promeruit. Linus vero & Cletus ministrabant exteriora, princeps autem apostolorum Petrus verbo & orationi insistebat: quæ non incongrue ad traditionem Spiritus sancti per manus impositionem pertinent. Vnde & in Actibus apostolorum scriptum habetur:

Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare men- ^{Act. 6.}

^{*habetur} *sis. Quapropter septuaginta electi sunt discipuli, qui exteriora peragerent, ipsi vero apostoli verbo & orationi*

insisterent. inde & in euangelio secundum Lucam ^{* scri-} ^{Luc. 10.}

ptum est ita: Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta; & neminem per viam salutaueritis. In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si sibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquabit in vos regnum Dei. In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non receperint vos, excuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos. Tamen hoc scitote, quia appropinquabit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in illa die remissius erit quam illi ciuitati. Et in

Matthæo euangelista scriptum est: Ecce ego mitto vos sicut ^{Math. 10.} *oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos; & ad reges & præfides ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & in-*

surgent filii in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Linum namque & Cletum nihil legitur vnquam ex pontificali ministerio egisse potestatiue: sed quantum eia beato Petro præcipiebatur, tantum solum-

Nicæni Cō-
cilii Can. 4.

modo agebant. Nam & in Canone legitur Nicæno: Episcopum namque conuenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in prouincia, episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem; a tribus tamen omnimodis in idipsum conuenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur per vnquamque prouinciam, metropolitano tribuatur episcopo. Omnia quoque maxima Concilia

Episcopus
non est qui
a minori nu-
mero, quam
a tribus epi-
scopis con-
secratur.

affirmant, eum non esse episcopum, qui minus quam a tribus episcopis, auctoritate etiam metropolitani, fuerit factus episcopus. Ideoque illos quos chorepiscopos vocatis, quia ab vno (vt audiuius) sunt episcopo, episcopos non esse, nec aliquid de pontificali priuilegio agere debere, perspicuum est. Quoniam si nomen non habent, quomodo officium possunt * habere? Si ergo episcopi non sunt, & presbyteri (quorum vicem gerunt, quia ad exemplum & formam septuaginta olim fiebant) esse despiciunt, quid erunt? Profecto quod ratione caret, aut nihil, aut parum profus est. Si quis de his amplius, & quod fieri non debeant, voluerit scire, legat prædictorum apostolicorum decreta, & ibi reperiet. De quibus aliqua & hic inferere, dignum duximus.

Damasi sci-
licet & Le-
onis.
Damasi pa-
pæ epistola
i v.

III.

Ioan. x.

Si Domini desideramus esse discipuli, ipsius imitemur vestigia, vt de nobis dicatur: *Ego sum pastor bonus, & agnosco oves meas, & uoco eas nominatim, & cognoscunt me meæ;* & reliqua. Et iterum, monente dominicæ vocis imperio,

Ioan. vi.

quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctiōnis imbuitur, vt Christi oves, qui Christum amat, diligenter & cum magna cura pascat, quoniam ipsius sanctæ sedis (cui per abundantiam diuinæ gratiæ præsumus)* ipsius amore & reuerentia cohortamur, vt tantæ superstitionis, quæ nullius (vt sæpe dictum est) fulci-